

VARIA OPERA
in partibus quatuor
anno 1517.

titulus in manu anno 1517.

Varia operam
in partibus quatuor
anno 1517.

Varia operam

Varia operam
in partibus quatuor
anno 1517.

Varia operam
in partibus quatuor
anno 1517.

Ung.
VI
54

~~EX BIBLIOTH.~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

W-57.

SIGNAT. cI515 CCCXIII.

Ex
3. Bx.

582
17

PROTESTATIO
Oratorum, Caroli Noni, Chri-
stianissimi Gallorum Regis,
in Concilio Tri-
dentino.



Contra Pium Quartum,
Pontificem maximum.



1564.



ALTE

OIT LECTORI.

M Agnum inter Philippi, Hispanorum Catho-
lici: & Caroli , Gallorum Christianissimi
Regis oratores , in concilio Tridentino, certamen
fuit: Vter alterum in sessionibus, atq; publicis,
tum priuatis actis, præcederet. Gallus antiqui mo-
ris rationem , Hispanus amplitudinem regni , Ca-
tolicæq; religionis constantiam expendi postula-
uit. Re itaq; cum Pio Quarto Pontifice maximo,
per literas à suis concilij Legatis communicata,
atq; tandem Romæ discussa: Idem Pontifex , ijs-
dem Legatis, perbreue, sub excommunicationis pœ-
na, pro Philippo pronunciari mandauit. Hoc igi-
tur Carolus grauissime ferens , per Oratores suo
nomine, de omnibus in Concilio gestis, ea, quæ se-
quitur formula, protestari iussit. Vnde nouæ reli-
gionis homines occasionem arripuerunt, ut incess-
tendis Pontificijs Pasquillum in uulgus iactarint
inhæc uerba: ANTI PH: Cantauit Gallus. RE-
SPONS: Utinam ad Galli cantum excitetur Pe-
trus. Hæc ego, ne non cauſsam , quæ
Carolum præcipue mouit, in-
telligeres, te scire
quidem uo
lui.
VALE.

63

Protestatio Oratorum Regis

Christianissimi, in Concilio Tridentino:
Contra Pium Quartum, se pro
summo Pontifice ges-
rentem.



VM uidemus, Patres sanctissimi, uos ex omnib. totius orbis Christiani provincijs, conciliandarum de religione controuersiarum causa, in hunc locum conuenisse: Idq; maxime factum fuisse, diligenti opera & studio Francisci & Caroli fratrum, Regum Christianissimorum: qui apud Pontifices maximos, Cæsarem, Regem Catholicum, & cæteros Principes Christianos, hanc Synodum oecumenicam primi promouerunt: Non possumus non grauiter & moleste ferre, nostram Legationem in ea miserrima tempora & angustias incidisse, ut cogamur, aut re infecta hinc abire, aut antiquam Regni nostri maiestatem minuentibus assentiri.

Quæ fuerit Regum Christianiss. præ cæteris autoritas, dignitas & prærogatiua: norunt optimè, qui iuri pontificio, & receptis in Ecclesia Romana Christianorum libris operam dederunt.

A 2

Sedisse

Sedisse autem & incessisse in Concilijs Ecclesiæ generalibus, antiquis & nouissimis, Regis Christianissimi oratores, primos, post Imperatoris, & ante Regis catholici, & omnium Regum oratores, uos, qui Conciliorum uolumina legistis, non potestis ignorare. Qui uero Iurisconsulti sunt, negare huius antiquæ & perpetuæ possessionis, cum sint plura coniuncta, & necessario consequentia Capita, uim in uno factam, in omnibus factam uideri.

Videtis autem, Patres sanctissimi, & oculis certinis, quid hodie fiat, aduersus antiquissimam possessionem: contra omnia Iura diuina & humana, pupillumque Regem Christianissimum. Regis catholici oratores semper sedebant & incedebant, Ecclesiasticarumque ceremoniarum honores accipiebant. Immutata hodie res est, & Regis Christianissimi prerogativa adeppta, non quidem à uobis, Patres sanctissimi, qui potius maiorum nostrorum exemplo Regibus & Principibus auita regna & imperia, unde essent inique expulsi, restitueretis: quam antiqua possessione quenque moueri patemini. Nihil item hac in re factum est ab optimo & religioso principe Rege catholico, cui cum Rege pupillo quanta sit amicitia, eaque cum affinitate coniuncta, nemo est, qui non intelligat.

Quem

Abstinuerunt prisci Patres à quibusuis decretis faciendis: interea dum sedebat & coacta erat sancta Synodus Oecumenica, penes quam semper fuit summa Ecclesiæ potestas: aut si quid aliquando constituerant, id sacro probante Concilio definiebant.

Nihil est, quod Dominus noster Iesus Christus magis curauerit, quam ut suæ & discipulorum actiones essent omnibus manifestæ, perspectæ & cognitæ. Pius, ut uno decreto omnino iura diuina & humana confunderet, uobis autem, Patres, in Concilio uniuersali legitime congregatis, & qui uniuersam Ecclesiam merito repræsentatis, ausus est Romæ, de Regis pupilli Oratorum, qui ad uostantum, & non ad illum missi erant, prærogatiua, pronunciare: pupillumq; Regem, non solum non auditum, sed ne uocatum quidem, condemnare.

Ac, ut nulla in hoc decreto iniquitas desiderari posse uideretur, & nos Oratores executio imparatos offenderet, non solum cauit diligenter, ne quis nostrum de ea quicquam resciret, Sed etiam uos, illustrissimi Legati, si contra faceretis, hoc est, si id feceritis, quod sine nefario scelere prætermittere non poteratis, excomunicauit. Videte rogamus, Patres sanctissimi, qui Theologiæ, pontificio, & ciuili iuribus operam dedistis, num uerisimile hic dici possit, ista quidem uis est.

Num

Num hæc sunt Petri, Lini, Damasi, Gregorij,
aliorumq; summorum Pontificum facta & gesta ?
Num Pium Quartum pro summo Pontifice & Pe-
tri successore habere debeat Gallia ? qui, ut anti-
quam dignitatem & maiestatem pupilli Regis mi-
nueret, omnia diuina & humana iura peruerit.
Num nobis, et si ingratisimo animo, iusta tamen
& necessaria causa, hinc non discedendum sit ? ubi
nullum legibus locum, nullum antiquorum Con-
ciliorum libertatis uestigium Pius Quartus reli-
quit ? Quid enim uobis iudicandum præponitur,
aut à uobis iudicatum publicatur, quod non prius
Romanis & Pio Quarto placuerit ? Quam putatis
aliam esse causam, toties dilati & procrastinati iu-
dicij petitionum nostrarum, quam quod illa in E-
pistola D. Hadriani Sexti, Pontificis maximi, opti-
mè nouerat, curatis quantumuis membris, corpus
sanum esse non posse, nisi etiam caput diligenter
curaretur ? Huic autem capiti, quæ, quantacq; im-
mineant, quoniam bona pars uestrum optime no-
uit, in aliud tempus dicendum reseruamus.

Hic igitur est Pius Quartus, ad quem solum,
neminem præterea nostra hæc denunciatio & pro-
testatio pertinet. Sedem Apostolicam, sanctos
Pontifices, sanctam Ecclesiam, pro cuius dignitate
augen-

387

augenda, maiores nostri sanguinem fuderunt, & ad-
huc hodie in Gallia acriter pugnatur, ueneramur,
reueneremur, suspicimus. Pij autem Quarti impe-
rium dat rectamus. Quæcunq; eius sint iudicia &
sententiæ, reiçimus, respuimus & contemnimus.

Et quanq; Patres sanctissimi, uestra omnium
religio, uita & eruditio, magnæ semper fuit & erit
apud nos autoritatis: Cum tamen nihil à uobis,
sed omnia magis Romæ, quam Tridenti agantur,
atq; h̄c publicantur, magis Pij Quarti placita,
quam Concilij Tridenti decreta iure existimen-
tur: denunciamus & protestamur, quicunq; in hoc
conuentu, hoc est, solo Pij nutu & uoluntate decer-
nuntur & publicantur, ea neq; Regem Christianissimum
probaturum, neq; ecclesiam Gallicanam
pro decreto oecumenici Concilij habituram.

Interea, quotquot estis Galliæ Archiepiscopi,
Episcopi, Abbates, Doctores, Theologi, uos om-
nes hinc abire Rex Christianissimus iubet, Redi-
turos, ut primum Deus Opt. Max. Ecclesiæ Ca-
tholicæ in generalibus Concilijs antiquam

formam & libertatem restituerit, Regi
autem Christianissimo suam di-
gnitatem & maiestatem.

FINIS.

ung VI 54


ULB Halle
003 896 110

3



5b_a

Hoc



PROTESTATIO
Oratorum, Caroli Noni, Chri-
stianissimi Gallorum Regis,
in Concilio Tri-
dentino.

Contra Pium Quartum, Pontificem maximum.



1564.

